

lescentia, ad opera exeunt et supra dicta conuehunt, seniores intus operantur. Quae flores comportant, prioribus pedibus femina onerant propter id natura scabra, pedes priores rostro, totaeque onustae remeant sarcina pandatae. Excipiunt eas ternae quaternae, quae exonerant. Sunt enim intus quoque officia diuisa : aliae struunt, aliae poliunt, aliae suggerunt, aliae cibum comparant ex eo quod adlatum est ; neque enim separatim uescuntur, ne inaequalitas operis et cibi fiat et temporis. Struunt orsae a concamaratione alui, textumque uelut a summa tela deducunt, limitibus binis circa singulos actus, ut aliis intrent, aliis exeant. Fauis, superiore parte adfixi et paulum etiam lateribus, simul haerent et pendent ; imam aluum non contingunt, tunc oblongi tunc rotundi, qualiter poposcit aluus, aliquando et duorum generum, cum duo examina concordibus populis dissimiles habuere ritus. Ruentes ceras fulciunt, pilarum intergeriuis a solo fornicatis, ne desit aditus ad sarcendum. Primi fere tres uersus inanes struuntur, ne promptum sit quod inuitet furantem ; nouissimi maxime implentur melle ; ideo auersa aluo fauis eximuntur. Gerulae secundos flatu captant. Si cooriatur procella, adprehensi pondusculo lapilli se librant ; quidam in umeros eum inponi tradunt. Juxta uero

22

23

24